



**M**einulphus ex illustri familia apud Saxones natus fuit. Itaque Carolus Magnus eum è sacro fonte leuauit, atque Vlfuoſſum dixit. Cum autem huius mater Vichtrudis uidua facta, aliud matrimonium respueret, atque à Cæſare petiſſet, ut se cum filio in tutelam acciperet, Carolus consensit, & summa æquitate præſtitit. Itaque Carolus puerum educauit, atque honesto loco apud ſe habuit. Erat is Carolo ante alios chariſſimus. Vnde eum ſemper apud ſe habuit, atque uocando, Mein Vlph, Mein Vlphi adſis, exclamauit. Vnde is poſtea Meinulphus dictus fuit. Erat is sanctis moribus & ingenio fœlici præditus. Itaque in Paderborn Archidiaconus electus fuit. Cum autem ampliſſimas opes haberet, & hærede careret, nobile uirginum monasterium in Bodicon ædificauit, atque multis prædijs exornauit, Anno Christi octingen-  
telimo tricesimo. Tandem mortuus, & in Paderbornensi Ecclesia ſepultus fuit. Verūm Pifo quartus eius loci præfectus effecit, ut is canonizatus inter sanctos referreretur. Vnde eius corpus magna ſolenni-  
tate effoſſum, & in monasterium Bodicon trans-  
latum fuit. Anon. Crantz.